

Johann Mantzel

Programma, Quo Rector Academiae Rostochiensis, M. Johannes Mantzel ... Ad eundem Exequias, Quas Vir ... Dn. Matthaeus Liebeheer/ Ictus, Consul ... Viduaa moestissimus ... Annae Sibrandes, velut ... Coniugi hodie paratas expetit, Cives Academicos omnium ordinum officiose invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus d. X. Aprilis A.O.R. CI IC LXXIIX.]

Rostochii: Keilenbergius, [1678]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774761075>


Druck Freier  Zugang



Mantzel, J.,
in
A. S i b r a n d,
uxor. M. Liebeheer.
Rostock, 1678.

18





PROGRAMMA,
QVO
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
M. JOHANNES *Gantzel*
Gr. Lit. P. P. & Fac. Philos. hodie
DECANUS,

Ad eundem Exeqvias,
QVAS
Vir Nobilissimus, Ampliſſ. atq; Consultissimus,
DN. MATTHÆUS
Liebeheer/

Ictus, CONSUL, atq; SYNDICUS Reipubl. Rostochiensis
Primarius meritissimus,

ceu
VIDUUS mœstissimus,
Nobilissima Matronarum

ANNÆ SIBRANDES,
velut

Charissimæ, nunc Desideratissimæ suæ Conjugi
hodiè paratas expetit,

Cives Academicos omnium ordinum
officiosè invitat.

ROSTOCHII, Typis FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typ.



UM per Paschalia hæc-
ce tempora de Resurrectio-
ne Victoris ac Triumphatoris
nostri JESU CHRISTI templa
nostra domusq; nostræ passim re-
sonant, dumq; de profligatâ mor-
te, reductâque postliminiò Vitâ,
quàm effusissimè nobis, ut eqvidè
deceat, gratulamur; tristissimus
cheu! ex improvise adest nuncius, qui ad nostrum, quan-
tum in se est, vel interpolandum, vel tollendum, gaudium,
nil nisi mortes & lacrimas profiteretur. Ut etenim de aliis
in præsens taceamus, en! Feminam longè Nobilissimam,
Primariiq; Consulis ac Syndici Reipublicæ hujus, dilectissi-
mam, vel, si mavis, desideratissimam Conjugem, nobis jam
obnunciat mortuam. Quis sibi hic temperare à lacrimis
quivirè, quisve Nobilissimum ac Mæstissimum Dn. Viduum,
ob tantum inflicto vulnus, nollet miserari? Calamitosius
enim nihil obtingere cuiquam potest, quàm si *Conjux, Ma-
rito prosperis dubiisque rebus sociâ*, verba sunt Taciti l. 12. Ann.
c. 5. & *desiderabile oculorum nostrorum*, quomodo Prophetæ
Ezechielis uxor cap. 24, 16. ab ipso Deo vocitatur, flebili
funere extinguitur; *Nec, uti dicitur, dolor est major, quàm*
cum

cum violentia mortis, unanimi solvit corda ligata fide. O gran-
dem itaq; quam passus est, incomparabilemque; jacturam.
Certè, non Conjugem solum amisit, sed optimam; non in-
dividuum modò vitæ suæ adjutorium; sed pulcherrimum
tot insigniorum virtutum simul ταπειόν. Si enim paulò
curatius pensiculatiusque; recolamus præterita; omnia illa,
quæ seqviorem sexum inter præcipua decere, dignitatèque;
matronalem quàm maximè commèdare assolent, non pau-
pere, sed plenâ, sed plenissimâ manu apud Ipsam semper sunt
reperita. Scilicet, quòd pia & religiosa fuerit, incredibilis
eius erga Verbum divinum amor, indefinens & indefessa
oratio, laudabilisque; erga egenos liberalitas; quòd casta
quodque; pudica vixerit, publica, ceu curiosa talium, vel mi-
nimatorum, observatrix fama; quòd comis & officiosa, offi-
cia Marito suo sapius per ægritudinem decumbenti, Fratri-
bus etiam, Sororibus, Sororisque; prædefunctæ liberis, Agna-
tis item & Cognatis suis promptissimè præstita, plenò ore sa-
tis abundèque; testantur. Quid? quòd Conjugalibus ejus Con-
cordia, singularèque; in curandâ familiâ, ac administranda re
familiari, artificium, matronis aliis meritò documentum
exemplumque; sit; ut adeò Nobiliss. Dn. VIDUUS, si hanc col-
lapsam domus suæ columnam largioribus lacrumis, altius-
que ductis suspiriis prosequatur, largissimam, vel à Stoico
quovis, nedum abs Nobis, plenissimamque; veniam mereatur,
&, ut aliter faciat, à se vix impetret. Quamvis enim, præter
SS. Verbum Dei, ex Tacito lib. 4. Histor. c. 58. §. 1. *Mortem
finem esse miseriarum*, noverit; nec, *Deum Regnatorem omni-
um esse*, ex ejusd. Germaniâ c. 39. §. 4. ignoret: tamen, cum
etiam fortes Viri subitis terreantur l. 15. Annal. c. 59. §. 2. &
cordis, quale hoc est, vulnera, doloris exquisitoris sint, af-
fectui se suo dare quid posse, non adeò malè nunc augura-
tur,

tur. Ast, ut & hic rerum omnium optimum, Modus, obser-
vetur, utq; Græcorum illud : *μηδὲν ἄγαν*, *Ne quid nimis*,
locum suum inveniatur, non immeritò cautela est. Nescio
autem, num, cùm Christiani simus, aliud quid meliùs forti-
tiusq;, atq; hoc ipsum, in quo nunc vivimus, Paschale, glo-
riosaq; Resurrectionis Servatoris nostri tempore, Modum il-
lum vel svadere vel imperare valeat. Uti enim resurrexit
Christus, & nos, qui ad Christum attinemus, & ad quos
Christus attinet, resurgemus: Siq; hoc, uti est, verum est,
& nostros quisq;, quos præmisimus, recuperabimus. Hoc
sanè argumentum Paulus ad istiusmodi luctus leniendos
princeps facilè duxit esse, atq; palmarium. Sic enim 1. Theff.
IV. v. 13. 14. 18. scribit: *Nolo vos ignorare, fratres, de illis, qui
obdormiverunt, ne doleatis, quemadmodum & ceteri non habentes
spem; nam si credimus, quòd JESUS mortuus sit, & resurre-
xerit, sic & DEUS eos, qui obdormiverunt per JESUM, adducet
cum eo: Proinde sermonibus his vos mutuo consolemini.* Vivet
igitur, & reviviscet Hæc, quæ tam acerbè fletur, Matrona-
rum Optima. Vivet, quia in Christo vixit. Vivet, quia
Christus vivit. Non mortua est, quæ putatur mortua: dor-
mit potiùs, ut, resumptis viribus, alacrior hilariorq; surgens,
qui se luxere, Maritum, Sangvinemq; suum tenacibus bra-
chiis amplexetur. Ceterum, ut de Matronæ nostræ, de
quâ jam nonnulla præfati sumus, Viri Nobilissimi, Amplis-
simi atq; Consultissimi, DN. MATTHÆI Liebeheer/ Jcti,
Consulis atq; Syndici Reipubl. ROSTOCHIENSIS Prima-
rii meritisissimi, Dn. Compatriis atq; Fautoris nostri, Paren-
tis instar Honoratissimi, Charissimæ, nunc proh dolor! de-
sideratissimæ Conjugis, ANNÆ SIBRANDES, honestis-
simis natalibus, ac virâ, ab exordio usq; ad exodium, bea-
tamq; *ἀνάλυσιν*, laudabiliter actâ, ulterius nonnulla com-
men-

mentemur : Nata illa est Rostochii, die XXVI. Julii,
horâ, quæ ipsi quoque fatalis fuit, quartâ maturinâ,
A. O. R. CIO IOC XXX. *Patrem* habuit, Virum Nobilissimum, Amplissimum atqve Consultissimum, Dn. HENRICUM SIBRANDUM¹, J. U. D. Clarissimum, atqve Nobilissimorum Statuum Provincialium Ducatus Megapolitani Syndicum meritisimum: *Matrem* verò, Nobilissimam, omnibusq, Virtutibus exornatissimam feminam, CATHARINAM Deutschen. *Avum Paternum* nacta est, Virum Nobilissimum, Consultissimum atqve Excellentissimum, Dn. JOHANNEM SIBRANDUM, U. J. D. Ejusdemq; Profess. Publ. & Syndicum hujus Urbis celeberrimum. *Aviam paternam*, Matronam Nobilissimam, ANNAM SCHILLINGIAM, Dn. HERMANNI SCHILLINGS, Consulis Reipubl. hujus bene merentissimi, Filiam unicam. *Avus Maternus* fuit, Vir Spectatissimus & Integerrimus, Dnus DAVID Deutsche / Amplissimi Senatus Oppidani Secretarius præclarè meritus. *Avia materna*, ANNA itidem SCHILLINGIA, Pastoris Dalenburgici Filia. *Proavum Paternum* sortita est, Virum Integerrimum & Spectatissimum, Dn. HINRICH SIBRAND, Civem & Centumvirum hujus urbis facillè primarium. *Proaviam Paternam*, DOROTHEAM Sûchtings / Matronam Honestissimam. *Proavus Maternus* fuit Dn. ZACHARIAS Deutsche / Civis Baudissenfis planè eximius. *Proavia Materna*, CATHARINA Hengels / Virtuosisima, & sexum suum apprimè Condecorans Femina, His tam honestis piisq; queis facili negotiò, quòd in promptu sint, & plures alii, si placitum esset, addi potuissent, Parentibus ac Majoribus, BEATISSIMA NOSTRA se suosq; ortûs, post DEUM,
de-

debet. Cumq; Parentibus ejus charissimis non satis esset, natam sibi esse, nisi eadem quoq; renasceretur, filiolam, continuò & sine morâ eam ple, mediante baptismatis fonte, ad Christum, Animarum illum Episcopum, & Medicum, ut in Album cœlestis Hierarchiæ Civium referretur, adduxerunt, illiq; partim in gratisimam Majorum recordationem, partim in faustum avitarum, suòque tempore subsecutarum Virtutum omen, utriusque AVIÆ (vayissimam ANNÆ nomen indiderunt. Quod ipsum etiam cessit feliciter. Nam *Nostra* sedulæ ad omnem, Virgines præprimis Matronasq; condecens Virtutem, manuductioni, facilem aurem præbens, in singulis illis, & ut unam solùm nominem, Prudentiâ Oeconomicâ, beatas Avias suas strenuè assecuta est, eisq; palmam tantùm non fecit dubiam. Quæ causa quoq; fuit, quò ad pervulgatam, de istiusmodi optimè moratâ Virgine, famam, prædictus Dn. VIDUUS, tunc temporis Regiæ Majestatis Svecicæ Consiliarius, & Dicasterii Citerioris Pomeraniæ Assessor Gravisimus, illam sibi ante alias Sponsam expetierit, anniq; 1650. mense Majo, cum vigesimum annum tunc agente, solemnî ritu fuerit copulatus. Quàm fœcundum, quæso, in ipso principio, cum non unam, sed gemellam, unò partu primòq; statim annò, prolem daret, hoc erat Conjugium? Verùm, uti nihil in orbe fixum stabilèq; est, lectissimum hoc Conjugium Par gaudiorum suorum primitiis, CATHARINA scil. & SOPHIA suis, brevi post regenerationem baptismalem obeuntibus, mox orbatum est. Utut autem, dicente Poëtâ, *liberi concinnent amorem*, Conjugibusque his, post amissas, de quibus diximus, Filiolas, volentè ita Numine, improlibus vivendum fuerit, tamen, non secus,
ac si

ac si numerosam prolem habuissent, imò, in eorum, quibus plures liberi sunt, exemplum, amorem mutuum Concordiamq; minimè interruptam inter se invicem coluerunt, ut unum velle unumq; nolle ambobus fuerit, & quod in proprios, si qui fuissent, liberos, erogandum erat, utriusq; consensu, in usum egeni proximi, vel quocunque modo opis indigorum propinquorum liberaliter cesserit. Tam laudabiliter per XXVIII. annos; Gryphisvaldiæ scil. ab anno 1650. ad 1662. per XII. & occasione, per divinam directionem legitimè oblati collatiq; Consularus, Rostochii, ab anno 1662. ad præsens usq; tempus, per XVI., vixerunt hi Conjuges. O utinam diutius vixissent! aliter summo rerum Arbitro, DEO, visum est. Is nunc, eheu! adamantinum hoc Matrimoniale vinculum dissolvit, cordèq; mœstissimi Dn. VIDUI acutò mortis ense miserrimè dissectò, partem alteram, cum incredibili restitantis palpitantisq; partis dolore pariter ac desiderio, sepulchro intulit! Ita enim Vir Nobiliss. atq; Experientiss. Dn. BERNH. BARNSTORFIUS, Med. Doct. Famiger. Dn. Affinis atq; Fautor noster Honoratiss. de mortis anteaambulone morbo, deq; ipsa Beatissimæ Nostræ morte attestatur: **VOCATUS** antè quatuordecim dies ad Nobilissimam Ornatisissimamq; Feminam, ANNAM SIBRANDES, Nobilissimi, Amplissimi ac Consultissimi Viri, Dn. MATTHÆI Siebheern/ Jcti & Consulis hac de Civitate longè meritisissimi, Conjugem dilectissimam, nunc eheu! desideratissimam, gravissimò quodam, & periculosissimis Symptomatibus Itipato Affectu Paralytico decumbentem eandem inveni. Artus quippe omnes resoluti, motuq; destituti jacebant, aderant insuper Anxietates & Distorsiones præcordiorum;

rum, ac acutissimi dolores pleuritici, ex inveteratâ Scorbuticâ corporis dispositione ortum trahentes. Quæ Symptomata omnia, post continuûm usum Medicamentorum appropriatorum, Spiritûs scil. animales & Nervos confortantium, diaphoreticorum, & Antiscorbuticorum, sensim remittebant, ita ut, postquam sudorem, septimo morbi die, in magnâ copiâ prorumpentem, insequeretur copiosissimus pustularum scorbuticarum ac vesicularum, serum continentium, undiquaq; proventus, ac motus aliqualis membrorum resolutorum; dolores iridem pleuritici & anxietates circa præcordia cessabant, quivis optimam de recuperandâ sanitate spem conciperet. Verûm exoptatissima illa expectatio, per biduum vix durabat, quando præter recensita symptomata adhuc alia accedebant, Febris scil. acuta maligna, faucium ac oris interioris inflammatio & exulceratio, sitis inextinguibilis, & perpetuæ vigiliæ, quæ vires corporis restitantes adeo prosternebant, ut omnium Alexipharmacorum & Cordialium Remediorum, satis maturè adhibitorum, virtutes frustra essent, & vitæ res in pejus semper ac semper laberentur. Quapropter, quintô tandem die currentis mensis, circa quartam matutinam, sine omni angore animam suavissimè exhalabat, relinquens Affinibus, Fratribus & Sorori, omnium autem maximè Marito grande sui & planè peracerbum desiderium.

Hæc Dominus Medicus. Uti autem Corporis, ceu vidimus, Medicum, NOSTRA adhibuit, ita de Animæ quoq; accersendo, non minùs, imò magis fuit sollicita. Vocatus etenim ad Ipsam est Vir pl. Reverend. atq; Clarissimus, Dn. BERNHARDUS MÜLLERUS, Diaconus ad Div. Mariæ vigilantissimus, qui, tanquam Confessionarius, selectissimis Scriptura-

pturarum flosculis ærotantem identidem refecit, at-
que in ipso mortis Salvatoris nostri, seu 29. Martii
die, præviâ devotissimâ Confessione, pretiosum illud
veri Corporis, veriq; Sangvinis JESU CHRISTI
Viaticum ipsi ministravit. Sed cum id ipsum prælau-
datus Dn. Confessionarius in peculiari epistolâ ube-
rius perscripserit, eandem hîc, ad meliorem informa-
tionem, majoremq; certitudinem, ne apice quidem
uno immutatô, placet apponere. Illa autem ita habet.

Vir Magnifice ac Consultissime.

Transmitto paucis, quæ per ministrum abs
me heri desiderata. Die 27. Martii, cum B. nostrum in
Domino defuncta morbum aggravescere sentiret,
me ad se accerseri jussit; petitis hisce, prout officium
& debita observantia postulat, libenter cum assurge-
rem, grata voce me excepit, deq; peccatorum in-
conspectu DEI Sanctissimi atrocitate & sorditate, de
benevoli DEI Patris affectu erga pœnitentes peccato-
res, ut & de meriti Christi ponderositate, mecum ser-
mocinata est. In hoc discursu talem se gessit, qua-
lem sexus seqvioris aliquam vix reperires. Dicta
nonnulla sacrarum Pandectarum, in quibus optime
versata, accuratè perpendebat, alia dextrè explicabat,
de difficilioribus nonnullis dubia movebat, & in re-
solutione à me datâ acquiescebat; tandem DEO pro-
pitio, fidei alis meritoq; Christi innixa, sese commit-
tens, ardentissimis suspiriis misericordiam Altissimi

B

invo-

invocabat: Credo, DEUM mihi, inqvies, propter
filium suum omnia mea peccata condonaturum; hinc
nihil magis desidero, nihilque magis in votis habeo;
qvam qvò ipso die passionis Joëlis mei, corpore &
sangvine crucifixi refocilletur anima & corpus meum,
qvò fides incrementa sumat, deq; æternâ vitâ certa
esse possim; In hoc pio desiderio, aliisque sanctis me-
ditationibus me dimisit, insuper rogitans, ut DEUM
pro salute & peccatorum remissioné invocarem.
Die parasceves cùm promissis stare, & iterum invise-
rem, statim lacrymis calidissimis, qvòd semper fecit;
qvotiens cum DEO in sella confessionaria reconcilia-
ta, formulam confessionis recitabat; omnibusqve ini-
micis, si qvos fortè haberet, delicta remittebat. Ab-
solutione verò maximis desideriis acceptâ, exultans
in hæc verba erupit: *Ach wie herzlich hat mich
hie nach verlanget / nun sind alle meine Sünde in
das Meer der Barmherzigkeit Gottes geworfen/
in das Wunden Meer meines Jesu / es wird mir
keine einzige können schaden /* simul dictum ex Mich.
cap. 7. v. 18. repetens. Post usum sacræ Cœnæ hilari
animò exclamabat. *HERR / nun ich dich habe /
frage ich nicht nach Himmel und Erden / etc. Herr
Jesu dir lebe ich etc.* cùm adhortarer ad confiden-
tiam erga DEUM, ad exoptatum finem omnes do-
lores perducturum; Utiqve, respondebat, Ipse be-
ne faciet: Jesus meus non solùm adstat lateri, sed & ha-
bitat in corde meo, tenebo illum firmiter, usq; dum
mihi porriget coronam immarcescibilè; dein variis pre-
cibus fuis, gratias DEO pro præstitis beneficiis & sa-
lutari cœnæ usu, egit. Die 3. Aprilis, me præsentè,
de

de vitæ hujus molestiâ & fugacitate, de mortis certitudine, deqve æternæ vitæ pretiositate & gloriâ, sermones mecum instituit. Hanc, hanc vitam, inquam, expeto, hanc mihi Jesus per mortem & resurrectionem acquisivit, ille Jesus, quem in pectore gesto; & licet manûs ob morbi acerbiteratem vix movere posset, tamen pulsans pectus, clamabat: *Hie ist mein Jesus/ ich halte Ihn fest in meinem Herzen/ und Er wird mich bald zu sich nehmen.* Et quia tempus migrationis ex hac miseriarum valle imminere sentiret, ad beatum obitum his precibus se præparavit. *Ach Herr laß deine Engelen etc. Du o schönes Weltgebäude etc.* quibus finitis, benedictioneq; Ecclesiasticâ datâ, DEO Salvatori eam commendavi. Hujus faciem quôq; jam aspicit, æternisq; gaudiis fruitur. DEUS omnium consolationis, sit, Vir Maghifice, tecum, & fontes consolationis pectori tuo copiosissime instillet. Vale.

Haftenus Epistola.

Ex illo autem tempore, quo, mediante benedictione Ecclesiasticâ, DEO commendata est, quod & aliàs semper fecit, terrenis omnibus valere jussis, de omni humano auxilio prorsus desperans, divinumq; quâ debuit fide, exoptans, beatæ emigrationis tempus in summâ patientiâ expectavit, donec suprâ dicto tempore inter ardentissimas preces, inter sanctas, & dignas Christianâ voces, plena spei & fidei, in magnò adstantium luctu, postquam Annos 47. Menses 8. Diesqve 10. sine ullâ notâ vivendò exegerat, placidissimè, & in Domino obdormiret. Huic igitur tam Præclaræ Feminae, cum hodiè exequiarum justa faci-
enda

enda sint, Vestrum erit, CIVES ACADEMICI,
illius supus frequenti decentiq; comitatu, seu, quod
idem est, præsentia vestra admodum honorificâ ho-
nestare. Certè eo ipso afflictissimum Dn. Viduum,
mæstissimos Dnn. Fratres, Sorores & Affines, omnem-
que adeò Familiam Honoratissimam non parum sola-
bimini, quæ etiam pro hoc officiorum genere, datâ
occasione, ad quævis humanitatis officia Vobis Vestris-
que redexhibenda, se fatetur promptissimam.


P. P. Sub Sigillo RËCTORATUS d. X. Aprilis
A. O. R. CIO IDC LXXIIX.

Conventus instituitur in Æde Div.
Mariæ Sacrà, Horâ I.





ac si numerosam prolem habuissent, imò
bus plures liberi sunt, exemplum, am
Concordiamq; minimè interruptam inte
luerunt, ut unum velle unumq; nolle am
quod in proprios, si qui fuissent, liberos, e
utriusq; consensu, in usum egeni proxim
que modo opis indigorum propinquo
cesserit. Tam laudabiliter per XXVI
phisvaldiæ scil. ab anno 1650. ad 1662
casione, per divinam directionem legitimi
tiq; Consularus, Rostochii; ab anno 1662.
tempus, per XVI., vixerunt hi Coniuges.
tius vixissent! ast aliter summo rerum A
sum est. Is nunc, eheu! adamantinum
niale vinculum dissolvit, cordèq; mœstis
acutò mortis ense miserrimè dissectò, pa
cum incredibili restitantis palpitantisq; p
riter ac desiderio, sepulchro intulit! It
bilis, atq; Experiētis. Dn. BERNH. BA
Med. Doct. Famiger. Dn. Affinis atq; Fa
noratis. de mortis anteambulone morb
tissimæ Nostræ morte attestatur: VO
quatuordecim dies ad Nobilissimam
Feminam, ANNAM SIBRANDE
Amplissimi ac Consultissimi Viri, Dn. M.
heern/ Jæti & Consulis hac de Civitate lo
Conjugem dilectissimam, nunc eheu! de
gravissimò quodam, & periculosissimis
stipato Affectu Paralytico decumbentem
Artus quippe omnes resoluti, motuq; de
aderant insuper Anxietates & Distorsio



qvi
um
co-
, &
rat,
an-
iter
Gry-
oc-
lla-
isq;
diu-
, vi-
mo-
DUI
am,
pa-
No-
US,
Ho-
Bea-
nte
mq;
imi,
ebe-
imi,
am,
ibus
eni-
ant,
dio-
um;